



1680.

1. Lyser [Leiser], Wilhelm: De concursu actionum
2. Leiser, Wilhelm: Explicationum l. Scripturas
11. C. qui potiores in pignore habeantur.
- 3⁴ Martini, Werner Theodor: De gradibus culpae et
peneae 1. delictis.
5. Pilarik, Esajas: De eclipsi lunae
6. Schleenstein, Godof. Nicolai: De affinitate.
7. Stolbergius, Balthas: De angariis veterum.
8. Strauss, Godofredus: De academ. . . . positio-
num juridico. practiceum disquisitioni
subiiciet publicae.
9. Straussius, Godofredus: Inscrucendi Forenses-
ab initium Partis.
10. Wachtler, Christoph: Ad Ulpiani l. 5 par. 2.
Commov. et. l. 2 3 d. R. j. sine de gradibus
culpae in Contractibus Commentatus in au-
jurialis
11. Fieyler, Konrad: De eo quod iustum est circa
mortuos.

1688.

1. Lysius [Leisler], Wilhelm: De jure civilitatis
vulgo von Bürgerrecht.

^{2. 3.} Lysius [Leisler], Wilhelm: De robaria et vi
bonorum raptorum.

3. Naevius Joh. Carolus: De ambitu et suffragio
rect. fr.

4. Naevius, Joh. Carolus: De homicidio doloso
ex l. Cornelia de sicar. et venef.

^{2. 5. 6.} Schleenstein, Godfr. Nic.: Dissertatio juridica
sistens dei inquisitionem in Ademum et Evam,
delinquentes.

6. Schleenstein, Godfr. Nic.: De gratia principis.

^{7. 8.} Strauss, Godfr.: De capitulatione vulgo von
Kopff-Gewe. 4 Exempl.

8. Strauss, Godfr.: De obligatione patriofamil.
in cuius aedibus incendium ortum.

9. Veyclius Christianus Foll. : De successione principis
jure primogeniturae et apomazid

[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely a historical document or letter.]



60.

D. 20.

Q. D. B. V.

1680

DISSERTATIO INAUGURALIS,

De

CONCURSU ACTIONUM,

QVAM

Ex Decreto & Auctoritate Magnifici Jctorum
Ordinis

In illustri Academia VVittebergensi ^{3 1/2}

SUB PRÆSIDIO

VIRI NOBILISSIMI atq; EXCELLENTISSIMI

DN. WILHELMI LYSERI,

JCTI & Antecessoris celeberrimi &c.

Patroni sui ac Præceptoris observantissimè
colendi,

PRO LICENTIA

ad summos in Jure Honores adspirandi,

publicæ ac solenni Disquisitioni

subjicit

GEORGIUS MICHAEL HEBER

Witteb.

Ad d. 8. Julii A. cIc Ioc LXXX. in Auditorio Majori
Horis ante & pomeridianis. ^{4.}


Prælo MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typog.

700



DISSEPTIMO...
CONCURSU
ACTIONUM
DR. WILHELM...
PRO LICENTIA
GROB...





I.



Vandoquidem de concursu actionum, argumento Jurisprudentiæ Romanæ haud ignobili, utut ex sententia Clarissimorum quorumvis Interpretum, Cujacii, Hottomanni, P. Fabri & aliorum difficili admodum & obscuro, disserere animus est, oportu-

portunum arbitror, non longè initia arcessere. Superfedere hâc operâ potuissem, aut certè felicius ea successura sub manus fuisset, si Julii Pauli Liber singularis de concurrentibus Actionibus (Hunc enim de iis exposuisse, Inscriptiones *L. qui servum, 34. ff. de O. & A.* Et *L. si quis egerit, 88. ff. de Furtis.* indicant) etiamnum superesset. Nunc, cum perditum eum esse, dolendi saltem materia relicta sit, id curæ restat, ut ex Fragmentis ejus & aliorum ea colligam, quæ ad hoc negotium pertinere videbuntur. Cæterum consilium mihi est, ex Legibus potiùs argumentum hoc explicare, quàm Doctorum compilando Scripta & Commentarios prolixum id majus & speciosum, quàm utile ac verum reddere.

II. Illud primum omnium prætereundum non est, concursum Actionum originem suam ab eâ Juris parte repetere videri, quæ interpretationibus Prudentum continetur. Donellus *Lib. 21. Comm. Cap. 3.* Et ad eum Hilliger id argumento Legum quarundam, in quibus scriptum est,

est, definitum hoc esse. *L. un. C. quando civ. Act. Crim. præjud.* Et probatum *L. plura delicta. 53. ff. de O. & A.* & post *magnas varietates obtinuisse L. cum ex uno, 32. ff. eod.* evincunt. Nobis ejus rei ratio inter alia hæc fuerit: Variis mutationibus Res Romanorum obnoxias, ac summam rerum modò penes paucos fuisse, modò penes plures, donec ad unum omnia deferrentur, nemini non constat. Ne itaque, qui pro tempore cum Imperio erant, quid, quod publicè privatimvè utile esset, prætermittere viderentur, verosimile est, Cives ob factum vel non factum ad aliquid aliud obligasse, quàm ad quod ab iis, qui hæctenus rebus præfuerant, erant obligati. Quo facto, uti obligatio diversimodè se habebat, ita etiam cogendi modum, ut obligatio impleretur, hoc est, actionem variare fuit necesse; Quamquam interim non negem, eadem etiam Imperii formà durante, non rarò evenisse, ut ad alia atque alia, prout id expediebat, obligarentur, & aliis quoque actionibus tenerentur. Credibile igitur est, etsi quæ antea in usu fuerant Actiones, nõ expressim abrogarentur, Cives tum tali actione usos esse, quæ in præsentis Reipublicæ statu aut etiam novissimè erat introducta. Procedente deinde tempore, cum variæ actiones de eadem re diversis temporibus constitutæ, in medio positæ essent, nata fuisse videtur fori disputatione inter Prudentes quæstio: Utrum, cum plures actiones essent proditæ, pluribus etiam experiri liceret. Quam sub exactius examen vocantes, docuere tandem, *Quando una intentata ad aliam recurrere integrum sit, vel minus; Quando unius electione vel consecutione altera consumatur, & alia, quæ huc spectant, in sequentibus exponenda.*

III. Sic constituta concurrentium Actionum origine, propius in rem nunc veniamus, & adducamus *ILL.*, quibus

quibus uni Actori adversus eundem Reum, circa eandem Rem plures competere actiones Legibus proditum invenimus. De hujusmodi enim Concurſu explicare nobis propositum imprimis est. An enim, ubi uni adversus eundem rerum diverſarum nomine, uti in *L. Lucio Titio, 29. ff. de O. & A.* plures actiones dantur, item, ubi ob plura delicta in diverſis rebus admilla plures actiones proditæ sunt, omnibus uti fit permiſſum, nemo adeo Domitiano fuerit ingenio, ut dubitet. Sicuti nec illud controverſiam habet, quando uni Actori de eadem re adversus plures, actiones etiam plures competunt, v. gr. Quando idem debitum vel eandem rem ſtipulanti mihi duo vel plures promiſerunt; Quando plures ſervum meum occiderunt, *L. Item Mela. §. ſed ſi, 2. ff. ad L. Aquil.* Fortaſſis autem haud facile plures actiones concurrere eo, quo nos intelligimus, modo, repereris, quàm ubi de furtim caſis arboribus Quæſtio vertitur. Is namque, qui furtim caſarum arborum arguitur, tenetur 1. Actione ex Legibus XII. Tabb. 2. Actione *L. Aquiliae L. 1. ff. arborum furt. caſ.* 3. Actione Pratoria in duplum, *L. furt. caſ. 7. §. ult. ff. eod.* 4. Interdicto, quod vi aut clam *L. competit, 16. §. 1. ff. quod vi aut clam.* 5. Actione extraordinariâ, cujus poena fuit relegatio, aut ſervitus poenæ, ut damnatio in metallum, Paulus *5. Sent. 20.* Vid. Wiſſenb. *Diſput. Jur. Civ. 48. theſ. 6. & 7.* 6. Actione furti. 7. Conditione, & 8. Ad exhibendum Actione, *L. facienda 8. §. Igitur. 2. ff. Arbor. furt. caſ. L. Si merces, 25. §. ipſe quoque, 5. ff. Loc.* In furem quoque ſat multæ actiones competunt. Quem Actione furti, & Conditione & Vindicatione, & ad exhibendum actione conveniri poſſe tradit, *L. ſi pro fure, 7. §. 1. ff. de Cond. furt. L. ſi pignore 54. §. cum furti, 3. ff. de Furt.* Eum, qui Depositem

contrectavit, duabus actionibus ad injuriam sarcendam cogi posse *L. si sacculum 29. ff. Depos.* docet, furti nempe & depositi actione. Sic adversus eum, qui rem communem per fallaciam dolove malo amovit, vel communem rem celandi animo contrectavit, & furti & pro Socio agi potest, *L. rei communis 45. ff. pro Socio.* Quæ furti actio etiam in colonū & negotiorum gestorem, & Mandatarium & Tutorē contrectantes unā cum actione negotio isti propria datur, *L. Idem est 46. ff. eod.* Quod si damnum in re communi focius dederit, itidem duæ actiones adversus socium competunt, *L. Aquiliae*, & ea, quæ pro Socio vocatur. *L. sed si, 47. §. 1. cum L. seqv. ff. eod.* Ita si focius rem communem suppresserit aut plagium fecerit Actione pro Socio & Favia tenetur, *L. meritò autem, 21. ff. eod.* Similiter, si quis pecuniam datam, ut alii, daret, consumpserit, & furti & mandati se alligat. *L. si mandaverit 22. §. si tibi, 7. ff. Mand.* Qui servum alienum injuriosè verberaverit, cum eo & Aquilia & Actione injuriarum agi potest, *L. qui servum, 34. pr. ff. de O. & A.* Si quis vulneraverit servum locatum, ejusdem vulneris nomine *L. Aquiliae* & ex *Locato* actio est. *L. si vulneraveris, 43. ff. Locati.* De quo, rem commodatam surripuisse, compertum est, & commodati, & Condictione furtiva conveniri potest. *ead. L. §. 1.* Colonus, qui quid ex fundo subtrahit, & Condictione, & Furti, & *Locati* tenetur, *d. L. 34. §. 2.* Si coloni servi villam exusserint, colonus vel ex *Locato*, vel ex *L. Aquilia* tenetur. *L. si servus, 27. §. Proculus ait, 11. ff. ad L. Aquil.* Si rem commodatam ruperit quis, in eum tum *Aquiliae* *L. Actio*, tum *Commodati* competit. *c. L. 34. §. ult. ff. eod.* Si quis stupraverit servam, & *L. Aquiliae* actio tenebit, & injuriarum quoque competet,
nec

nec erit deneganda Prætoria actio de servo corrupto. *L. inter liberas, 6. pr. ff. ad L. Jul. de Adult.* Qui stupratam servam celaverit, vel quid aliud furandi animo fecerit, non tantum injuriarum, sed etiam furti tenetur. Quod si virginem immaturam stupraverit, præter injuriarum actionem ex *L. Aquilia rectè* convenitur. *L. si stuprum, 25. ff. de Injuriis.* Si quid, quod ejusdem naturæ est, confusum est atque commixtum, & rei vindicatione & communi dividendo peti potest. *L. Marcellus, 3. §. 1. cum L. sequ. ff. de R. V.* Adversus eum, qui tabulas testamenti depositas, aut alicujus rei Instrumentum delevit, depositi, & ad exhibendum, & ex *L. Aquilia* agi potest, *L. qui tabulas, 42. ff. ad L. Aquil.* Quod si eas apud se depositas pluribus præsentibus legit, ut judicia ejus, qui testatus est, divulgarentur, depositi & Injuriarum convenietur. *L. 1. §. si quis tabulas 38. ff. depos. L. Si quis testamentum 41. ff. ad L. Aquil.* Qui hominem surripuit & occidit, quia surripuit furti, quia occidit *Aquilia* tenetur. *L. Nunquam 2. §. 1. ff. de privat. delict.* Idem dicendum, si rapuit & occidit. Nam & vi bonorum raptorum & *Aquilia* tenebitur, eadem *L. §. 2.* Item, si quis surreptum flagello ceciderit, duabus actionibus tenetur, furti & Injuriarum, & si fortè hunc eundem occiderit tribus actionibus tenebitur, furti nempe, injuriarum & *Aquilia*, ead. *L. §. 4.* Item, si quis ancillam alienam subripuit & flagitaverit, adversus eum & servi corrupti agi poterit & furti *d. L. 2. §. 5.* Sic, si quis servum vulneravit, quem subripuerat, æque duæ actiones locum habebunt, *Aquiliæ* & Furti, ead. *L. §. fin. L. si servus, 27. pr. ff. ad L. Aquil.* Qui rem rapuit, & furti nec manifesti tenetur in duplum, & vi bonorum raptorum in quadruplum, *L. 1. ff. vi bon. rapt.* Si Tutor furandi animo rem ex
bonis

700

bonis pupilli abstulerit, & furti, & Conditione, & Actione de rationibus distrahendis tenetur. *L. Actione 2. ff. de Tut. & rat. distrab.* Socius à socio, quam impensam in res communes fecerit, quosve fructus alter ex iis ceperit, vel pro Socio actione, vel Communi dividundo consequi potest. *L. pro Socio, 38. §. 1. ff. pro Socio.* Adversus dominum servi in peculiari merce negotiantis, vel Tributaria, vel de peculio experiri licet, *L. quod in herede, 9. §. 1. ff. de tribut. Action.* Si is, qui Jussu Prætoris cœperit possidere, & possidendo dominium capere, aut non admissus, aut ejectus inde fuerit, utile Interdictum unde vi, vel Publicianam, vel in factum actionem adversus dejicientem habet, *L. damni infecti, 18. §. pen. ff. damni inf.* Sic Legatario laxa agendi potestas est, veluti Rei vindicatione, personali Actione, & hypothecaria. *L. cum filius, 76. §. Variis. 8. ff. de Legat. II.* Sic ei, qui per vim possessione dejectus est, & Interdictio unde vi, & ex *L. Julia de Vi* experiri licet. Similiter ob suppressum testamentum, de Tabulis exhibendis Interdicto & ex *L. Cornelia de falsis* agi potest. Libertus item, si dicat se ingenuum, faciatque ea, quæ ingenuorum sunt, tam de operis civiliter, quam etiam *L. Vifellia* criminaliter potest conveniri. Item qui servum alienum interceptit & vendidit, furti tenetur civiliter, & criminaliter de plagio potest accusari. Sic permissum est, postea quam de Instrumento civiliter egit quis, deinde experiri criminaliter ex *L. Cornelia de falsis*, *L. un. quando Civ. Act. Crim. præjud.*

IV. Enarravimus pleraque hætenus exempla, in quibus plures à Legibus Actiones proditæ sunt. Quibus cum diligentia inspectis, Prudētes hujusmodi regulam constituere: Quando plures actiones de eadem re competunt, regulariter omnibus experiri licet. Quam *L. nunquam 130. ff. de*

ff. de R. 7. hunc in modum effert: *Nunquam actiones, præsertim pœnales, de eadem re concurrentes alia aliam consumit*; Totidem pœnè verbis repetita in *L. nunquam, 60. ff. de O. & A. §. ult. Inst. Si quadrup. paup. fec. dic.* Ac confirmari quidem ea haud paucis exemplis potest. Unum item & alterum posuisse erimus contenti. *Si stuprum serva passa sit*, ait *J. C. in L. 25. ff. de Injur.* *Injuriarum actio dabitur, aut si celavit mancipium vel quid aliud furandi animo fecit, etiam furti, vel si virginem immaturam stupraverit etiam L. Aquilia actionem competere ajunt.* Ex quâ *L.* manifestò cernimus, tribus actionibus posse quem experiri adversus celantem aut contrectantem servam immaturam à se stupratam. Non dissimile extat in *L. nunquam 2. §. 1. & 2. ff. de priv. delict.* Ubi, qui hominem surripuit & occidit quia surripuit furti, quia occidit, *Aquilia teneri dicitur, neque alteram harum actionum alteram consumere*; Idemque dicendum adjicitur, si rapuit & occidit; Nam & vi bonorum raptorum & *Aquilia cum eo actum iri.* Ac usus quidem hujus regulæ non tantum se exerit in concursu actionum merè pœnaliū, verum etiam, quando una rem, altera pœnam persequitur. Sic ob furtum & *Condictio & furti Actio adversus furem datur, L. si profure, 7. §. 1. ff. de Cond. furt.* Quo etiam pertinent, *L. si sacculum, 29. ff. de pos. L. si locatum, 42. ff. loc. L. rei communis 45. ff. pro Soc. L. si mandavero, 22. §. si tibi, 7. ff. mand.* In quibus actio furti nec depositi, nec Locati, nec pro Socio, nec mandati actionem perimit. Neque refert, an pœna ista, quæ petitur, parti læsæ applicanda veniat, an Fisco. Videmus namque ex *L. un. C. quando Civ. act. Crim. præjud.* Interdictum unde vi cum *L. Julia de vi*, Interdictum de tabulis exhibendis cum *L. Cornelia de falsis*, Actionem,

B

in

700



in factum de operis liberti cum L. Visellia, Actionem
furti civilem cum L. Fabia de Plagiariis ita concurrere, ut
Actio Civilis criminalem accusationem non consumat.
Sed nec reticendæ rationes sunt, quæ Prudentes, postea-
quam viderunt, plures actiones de eadem re proditas esse,
ut concursum earum formandum suscipere, induxere.
Primò igitur, quæ impulit Legislatores uti ob factum vel
non factum alicujus eum ad poenam obligarent, eadem
persvasit Jctis, ut pluribus actionibus experiri permitte-
rent; Utilitas nimirum publica; Quæ vel imprimis pro-
vehitur, si cuilibet, quod suum est, relinqvatur, nec aliena
commoda quisquam ad se rapere tentet. Cum igitur haud
ex vano augurarentur atqve prospicerent, si animadvertente-
rent homines, se pluribus modis ad damnum datum sar-
ciendum adactum iri, longèqve plus à se iri exactum,
quàm alteri suo facto detraxissent, fore, ut potius ab inju-
ria alteri inferenda sibi temperarent, quàm ingens ali-
quod rei familiaris damnum incurrerent, Concursum A-
ctionum tanquam idoneum retinendi Cives in officio me-
dium introduxere. Deinde non potuerunt non plurium
actionum Concursum permittere, ubi occasione ejusdem
rei in plura facta & delicta præceptis quis ruit: Interest enim
publicè, ne delicta impunita maneant, quò vel ipsi delin-
quentes emendentur, vel reliqui Cives metu poenæ deter-
riti à delictis abstineant. Quam in rem eleganter Jctus.
L. nunquam, 2. ff. de priv. delictis ait: *Nunquam plura
delicta concurrentia faciunt, ut ullius impunitas detur:
neque enim delictum ob aliud delictum minuit poenam.*
Tum illud quoqve vulgatum regulæ nostræ extruendæ
ansam præbere potuit: Prohibita quæ non sunt, concessa in-
telliguntur, *L. Statuas, 7. C. de Relig. L. Magistratus, 25. ff. ad
Muni-*

Municip. L. Sancimus, 27. C. de Testam. Unde cum nec naturali nec civili rationi plurium actionum concursum repugnare deprehenderent, eum merito concedendum putarunt. Ut ut enim pluribus actionibus introductis videri posset, priorem obligationem per posteriorem sublatam esse, id tamen non aliter verum esse voluere, quam cum Lex producendo novam veterem expressè abolet. Quod cum non apparet priorem potius adjuvisse, quam sustulisse existimanda est. Donell. L. 21. Comm. Cap. 3. Quò facit, quod Paulus ait L. *Quoties, 41. pr. ff. de O. & A.* *Quoties Lex obligationem introducit, nisi nominatim caverit, ut sola eà Actione utamur, etiam veteres eò nomine competunt.*

V. Cæterum rem paulò penitius expendentes, ut duplicem Concursum, alium Successivum alium Cumulativum constituamus, adducimur. Quod antè nos alios quoque fecisse videmus. Vid. Donell. loc. suprâ cit. & ab eo allegati Dd. Cum quibus tamen in eò nobis non convenit, quod ferè Concursum Cumulativum non aliter concipiunt, quam cum plures Actiones eodem Libello cumulare licet. Utrum enim in eodem libello & eodem tempore, an diversis & ex intervallo id fiat, ad modum concessa facultate pluribus actionibus utendi pertinet, ad rem ipsam verò parum interest. Alius est Quæstionis, an modus plures actiones uno Libello cumulandi in Rep. Rom. fuerit usitatus? Negant Interpretes plerique & Cumulationem eò, quò diximus sensu acceptam. Inventum Pragmaticorum esse affirmant, Wissenb. d. Disp. 48. n. 1. Don. cit. loc. Nos quanquam de eà re nihil disertè Legibus cautum reperiamus, quid tamen obstiterit, quò minus actiones omnes simul ejusdem rei nomine concurrentes apud Prætorem ab Actore uno contextu proponi, propositæque actori postulanti decerni poterint,

rint, non animadvertimus. Quæ hodie ex sententia Dd. ad Cumulationem Actionum requirantur videre est apud Obrecht. de Concip. Lib. C. 24. n. 2. Rosbach. Prax. Civ. Lib. 34. n. 1. Petr. Fridr. L. 2. de Contin. Causs. C. 10. Nos verò dum Concursum & Cumulativum & Successivum constituimus atque permittimus, in actoris manu esse volumus, utrum simul, hoc est, motâ lite durante, an postea quam ea per sententiam finita est, beneficio plurium actionum uti velit.

VI. Sunt tamen quamplurimi casus, ubi quidem plures actiones ejusdem rei nomine Legibus proditæ inveniuntur, nec tamen omnibus experiri licet. Quos, ut inde secuturis evidentior præstetur intellectus, per turbam prius colligamus, distinctius postea de illis acturi. *Si tecum societas mihi sit, & res ex societate communes, quam impensam in eas fecero, quosve fructus ex his rebus ceperis, vel pro Socio vel Communi dividundo me consecuturum, & altera actione alteram tolli Proculus ait. L. pro Socio. 38. §. 1. ff. pro Socio. Si is, cui rem commodavero eam sapripuerit, tenebitur quidem & commodati actione & condictione, sed altera actio alteram perimit, L. Qui servum, 34. §. 1. ff. de O. & A. L. si is, cui, 71. pr. ff. de furt. in qua per actionem furti Condictio furtiva rectè intelligitur; Quamquam enim, ubi actionis furti mentio in Jure Romano fit, plerumque actio pœnalis in duplum, vel quadruplum eâ appellatione veniat, ut tamen rei persecutoria quoque eâ significetur, novum planè non est, arg. L. cum furti, 9. ff. de Jure jur. in lit. L. eum qui 14. §. Quis ergo, 16. ff. de furt. Porro si Colonus aliquid ex fundo subtraxerit, condictione & ex Locato tenetur, sed inter se miscentur, ead. L. §. 2. ff. de O. & A. Sic eligere quis debet, quâ Actione experiatur, utrum de peculio an Tributaria, cum scit, sibi regressum ad
aliana*

aliam non futurum, L. *Quod in herede*, 9. §. 1. ff. de Tribut.
Act. Ita variis actionibus Legatorum Legatarius simul uti
non potest. L. *cum filius* 76. §. pen. ff. de Legat. 2. Sic rei
communis nomine cum Socio & Condiçione furtiva &
actione pro Socio agi potest; sed si ex causa furtivâ condi-
xero, cessabit pro Socio Actio. L. *Sed si*. 47. ff. pro Soc. Item,
si damnum in re communi socius dedit, Aqviliâ tenetur, &
pro Socio, sed Actione pro Socio consequitur, ut alterutrâ
contentus esse debeat, d. L. 47. §. 1. cum seq. & L. *Sed actio-*
ne, 50. ff. eod. Item, si is, qui jussu Prætoris ceperat possi-
dere, & possidendo dominium capere, aut non admissus
aut ejectus inde fuerit, utile Interdictum unde vi, vel Publi-
cianam vel in factum actionem habet, sed si in factum a-
ctione egerit, his actionibus experiri non potest. L. *damni*
infecti 18. §. pen. ff. *damni. infecti*. Sic Colonus, cujus ser-
vi villam exusserunt, vel ex Locato vel ex L. Aqviliâ tene-
tur, sed si uno iudicio res sit iudicata, altero amplius non
agendum, L. *si servus*, 27. §. *Proculus ait*, 11. ff. ad L. *Aqvil.*
Ita coacto hæreditatem repudiare, duplici via succurritur,
aut utilium Actionum quasi hæredi datione, aut actionis
metus causa præstatione, sed una tamen via saltem acturo
patet, L. *si mulier*, 21. §. ult. ff. *quod met. causa*. Sic confu-
sum commixtumq; cum alterius materiâ aut Rei Vindica-
tione aut communi dividundo quis consequi potest, L. *Mar-*
cellus. 3. cum L. *seqv.* ff. de *Rei Vind.* Ita qui rem rapuit &
furti nec manifesti tenetur in duplum, & vi bonorum rã-
ptorum in quadruplum, sed si ante actum sit vi bonorum
raptorum deneganda est furti, L. 1. ff. *Vi bon. rapt.* Simili-
ter fur & Condiçione & Vindicatione tenetur, sed altera
alteram tollit, L. *si pignore*, 54. ff. *cum furti*. 3. ff. de *Furt.* Si
is, qui pignori servum accepit, occidit eum vel vulneravit,

B 3

L. Aqvi-

700

L. Aquiliâ & Pignoratitiâ conveniri potest, sed alterutrâ contentus esse debet actor, L. *sed etsi*. 18. ff. ad L. Aquil. Si vulneraveris servum locatum ejusdem vulneris nomine Legis Aquiliæ & ex Locato actio & idem Juris est, L. *si vulneraveris*, 43. ff. Locati. Sive pignus, sive commodata res, sive deposita deterior ab eô, qui acceperit, facta sit, non solum ex contractu sunt actiones, verum etiam L. Aquiliæ; Sed si quâ earum actum fuerit aliâ tolluntur, L. *in rebus*, 18. §. *sive autem*, 1. ff. Commod. Si tibi commodavero vestimenta & tu ea ruperis, & commodati & Aquiliâ teneberis; Sed post L. Aquiliæ actionem utiqve commodati finietur. L. *qui servum*, 34. ult. ff. de O. & A. Qui metus causa rem alteri tradidit, & Vindicatio & quod metus causa Actio competunt, sed si in quadruplum egerit, finietur in rem actio, vel contra, L. *Metum*, 9. §. *Licere* 6. ff. *quod metus causa*. Si actum sit publico judicio injuriarum, denegandum est privatam, & ex diverso, L. *Quod Senatusconsultum*, 6. ff. de Injur. Si pecunia tua mandantibus servis tuis quidam prædia comparaverunt, eligere debes, utrum furti actionem & Conditionem an mandati potius inferre debeas; Nec enim utramque licet instituere, L. 1. C. de furt.

VII. Quid igitur impedimento esse dicemus, quod minus regula num. IV. posita in speciebus modò enarratis locum habeat? An quod omnibus Juris regulis commune est, ut earum definitio periculosa sit, L. 202. ff. de R. J. id nostræ quoque usu venit? Quod si est, ut suas patiatur exceptiones, quæ æquitas svadet, ut ea restringatur. Cesset enim ratio regulæ necesse est in allatis exemplis, si ipsa regula cessare debet. Cœterum de utroque Concursum veram esse regulam num. V. dictum est; Videndum itaque, an

an aliæ sint exceptiones, quæ Concursum Cumulati-
vum, aliæ quæ Successivum excludant. Esto igitur
Exceptio: Quando duæ vel plures Actiones de eadem
re concurrunt, quarum utraqve ad eundem finem ten-
dit, utraqve simul experiri non licet. Quæ his verbis in
L. Nemo, 43. §. 1. ff. de R. J. enunciatur: *Quotiens com-
petunt plures Actiones ejusdem rei nomine, unâ quis
experiri debet*: Ubi verba *ejusdem rei nomine* sic acci-
pimus, ac si JurisConsultus *ad idem* dixisset: Exceptionis
rationem paulo altius exorsi, sic investigamus. Qui
in societatem à DEO & natura tracti coierunt, volun-
tates suas de faciendo ea, quæ salutaria communitati,
& abstinendo ab iis, quæ fini, ob quem communitas in-
stituta est, contraria sunt, ita invicem copulârunt, ut
nemo ex sociis ab ista voluntate, tum singulis tum uni-
versis devinctâ, recedere queat, nisi severiori commu-
nitatis censuræ se subicere, aut si nimis enorme sit fa-
ctum, indignum se Societate reddere velit. Cui con-
sequens est, ut qui facto contrario istud vinculum ru-
perit, non tantum læso Jus dare credendus sit ad perse-
quendum omnibus modis damnum datum, sed etiam
toti societati ad animadvertendum in se tanquã eum, qui
tranquillitatem publicam suo isto facto turbavit. Por-
rò, quia quotidiè accidit, ut alter alterius ope indigeat,
evenit, ut præter generale illud vinculum, quo singu-
li cum singulis & universis colligantur, specialis qui-
dam nexus inducatur inter duos vel plures ex commu-
nitione v. gr. Quando alter alteri promittit, se ejus cau-
sa quid daturum, facturum omisurumve esse. Tunc
enim ad Promissarium, qui acceptavit promissionem,
Jus

700

Jus quoddam transfert Promissor, nempe voluntatem suam, quam alteri sine injuria auferre non potest, nisi quod istam voluntatem liberare valet præstando rem, ob quam devinxit voluntatem. His principiis, uti videtur, Romani innitentes, vinculum illud cum generale tum speciale obligationem; facta Societatis finis contraria, delicta vel quasi; Modos, quibus specialis nexus constituitur, Contractus vel quasi, ac tandem sum ex obligatione persequendi Modos, Actiones dixerunt. Uti autem, quemadmodum exposuimus, Jus ex obligatione descendens quæsitum est vel toti communitati, vel speciatim læso, ita actiones, quibus communitas Jus suum exercet, aliam habent naturam, aliam, quibus læsus. **Q**ui læsus est facto socii, satis habet, si in eundem, unde læsione dejectus est, restituatur locum, hoc est, si quod sibi è rebus suis abest, consequatur. Communitas autem, cujus tranquillitas per illud factum læsa est, Jure suo vel ita utitur, ut lædentem vel planè ejiciat Societate, quod fit, si exilio multet, vel capitali supplicio afficiat, vel mitius cum eo agit pro ratione circumstantiarum, & in societatem iterum recipit, sic tamen ut pro suo facto, quod infectum fieri nequit, aliquid patiat, quò & ipse & alii ejus exemplo in posterum sui officii admoneantur. Actiones quibus satisfit læso, rei persecutorias, quibus societati, Poenales Romani vocarunt. **Q**uod autem Poenæ modò à privatis, modò publico nomine exigantur, & nunc privatis, nunc publico applicentur, ad modum pertinet, quò communitas, prout id sibi expedire videtur, satisfactionem suam quærit, non ad rem ipsam. **Q**uibus

bus ita positus apparet, malè eum facturum, qui in casu, quo plures Actiones rei persecutoriaë, aut plures pœnales ob idem factum proditaë sunt, omnibus simul uti velit. Cum enim unâ consequi possit, quod sibi vel communitati abest, quid nisi turbatio ordinis Judiciorum inde expectanda, si ut pluribus simul uti possit, permittatur; ut nihil dicam, si id eâ mente faciat, ut idem bis consequatur, iniquissimum talem futurum, ac non tam de injuria reparanda, quàm de novâ inferenda cogitare videri. Nec enim bona fides patitur, ut bis idem exigatur, *L. 57. ff. de R. J.* Ratione Exceptionis productâ, nunc exempla ad eam pertinentia huc collocare juvat. Expensas in rem communem factas, fructusque à Socio perceptos, vel pro Socio actione vel communi dividendo petere licet. Ut simul utramque quis instituat, id certè æquitati naturali cum repugnet, non permittitur, *L. pro Socio. 38. §. 1. ff. pro Socio.* Similiter, si Socius rem communem dolo malo amovit, vel contrectavit, adversus eum condictione furtivâ & pro Socio experiri liberum est. Sed si ex causa furtiva condixero, cessabit pro Socio actio, *L. sed si, 47. ff. pro Soc.* non aliâ certè de causa, quàm ne idem bis contra bonam fidem exigatur. Item, si quis facto suo societatem læsit, si v. gr. negotiatorem servum vulneraverit aut occiderit, Aquilia & actione pro Socio tenetur: Sed actione pro Socio consequitur, ut alterâ actione contentus esse debeat, *L. Sed si, 47. §. 1. cum 3. Legibus seqq. ff. pro Soc.* Ubi mirum videri alicui queat, quod *L. Aquiliaë actio tollatur, cum mixta sit, §. vi autem, 1. de Action.* & ad minimum, quoad pœnam, remanere deberet. Verùm si exactè rem expendimus, natura sua rei per-

C

secu-

secutória est, ex accidenti autem mixta evadit. Quam
sententiam modò *alleg.* L. 50. disertè confirmat. Ita
enim Juris Consultus ait: *Quia utraq; actio ad rei per-*
secutionem respicit, Cui consentit L. *qui servum,* 34.
§. ult. ff. de O. & A. Quandoquidem sæpissimè contingere
potest, ut L. *Aquiliæ Actio* merè sit rei persecutoria, si
e. gr. res, cui damnum datum est, tempore damni da-
ti plurimi fuerit. Aliud exemplum occurrit in L. *sed*
etsi, 18. ff. *ad L. Aquil.* in quâ, qui pignori servum acce-
ptum occidit aut vulneravit, Lege *Aquiliâ & Pignora-*
titiâ conveniri posse dicitur, ita tamen ut alterutra con-
tentus esse debeat actor. Huic non dissimile illud est,
quod extat in L. *Si vulneraveris,* 43. ff. *Locati,* Ubi vul-
nerans servum locatum & *Aquilia & ex locato* tenetur,
sed alterutrâ tamen saltem conveniri potest. Simili-
ter in eum, qui vestimenta commodata ruperit, &
Commodati & Aquiliæ actio competit, L. *qui servum,*
34. *§. ult. ff. de O. & A.* Ratio adjicitur, *utraq; enim rei*
persecutionem continent. Limitatur tamen, nisi plus alte-
ra contineat; & adhuc *Aquiliæ actio* post *Commodati,*
in eò, quod in repetitione 30. dierum amplius est, locus
relinquitur. Quæ tñ. limitatio eò potius, ubi de *Exceptio-*
nibus Concursum successivum excludentibus agetur, re-
ferenda est. Ceterùm adductæ L. verba ultima miserè tor-
quent Interpretes. Nobis omisissis aliorû explanationibus
illa placet: quia simplò subducto per actionem com-
modati & obtento locum non habet, scilicet quoad il-
lud simplum iterum petendum, quia simplò, id est,
ei, quod aliàs petebatur actione *Commodati,* accedit.
Porro adversus eum, qui rem commodatâ surripuit, da-
tur *Actio Commodati & Condictio furtiva.* Injurium
autem

autem esset, cum utraqve rem persequatur, ut eam simul institui concederetur: quapropter merito altera alteram consumit, *L. qui servum, 34. §. 1. ff. de O. & A.* In Colonum surripientem rem locatam, & exLocato & Condiotione furtiva agi potest; Æquitas autem postulat, ut unam tantum eligendi actori copia sit, ne bis idem consequatur, *ead. L. §. 2. L. si is cui, 71. ff. de furt.* Idem dicendum est in Concurfu Rei vindicationis & Condiotionis furtivæ, *L. si pignore, 54. §. cum furti, 3. ff. de furt.* Sic Legatario variis uti actionibus permisum est, quia tamen omnes eò tendunt, ut actor, quod sibi debetur, obtineat, ne pro injusto aut absurdo reputetur, si suum, quod una jam petere cœpit denuò alia petere audeat, eligere debet, quâ velit uti, *L. cum filius, 76. §. pen. ff. Legat. 2.* Ad Exceptionem nostram pertinet etiam *L. damni infecti, 18. §. pen. ff. damni inf.* in quâ dejecto vel Interdicto Unde vi, vel Publicianâ, vel in factum actione experiri conceditur; in factum tamen intentata, reliqvas cessare definitur. Summa scilicet ratione. Nec enim æquitas patitur, ut si una jam cœptum est agi, per quam quis suum Jus exequi potest, adhuc alia ipsi ad idem experiri permittatur. Neque minus huc spectat *L. si mulier, 21. §. ff. quod met. caus.* Ubi coactus hæreditatem repudiare, duplici viâ Jus suum persequi potest, aut Utili actione, aut quod metus causa, sic tamen, ut amplius quàm una ipsi non pateat. Illud in hac specie dubium habet, quâ fiat, quod utili Actione instituta, actio quod metus causa expiret, cum posterior ad quadruplum competat, ac sic non idem cum priori, quæ merè rei persecutoria est, petat: Verùm, cum non aliter ad quadruplum detur, quàm, ubi ad Judicis arbitrium res non restituitur, apparet, 711

etiam quod metus causa actionem, quoad intentionem actoris, rei persecutoriam esse, cum poena tripli tantum ob non factam restitutionem accedat, *L. Item si, 4. §. 1. & §. hæc autem, 4. ff. eod.* Quæ ratio quoque obtinet, quando Rei Vindicatio & quod metus causa actio concurrunt: Tendit enim utraqve præprimis eò, ut, quod è patrimonio abest, reddatur. *L. metum, 9. §. licet. 6. ff. eod.* Porrò huc referenda est *L. Marcellus, 3. f. & 4. ff. de R. V.* in quâ is, cujus res cum alterius materia confusæ commixtæque sunt, ad eas consequendas duplicem actionem habet, Rei Vindicationem & Comuni dividundo: Quas tamen inter se misceri, cum utraqve ad idem tendat, per se evidens est. Quamquam autem dixerimus, neminem simul pluribus actionibus ad idem competentibus uti posse, id tamen eò est interpretandum, si id faciat læsus temerè, aut animo idem bis consequendi. Quod si enim incertus, quâ actione experiri debeat, duas dicet actiones, etsi ad idem tendant, protestatus, ex una harũ se velle consequi, quod se contingit, cum id nihil habeat iniqui, quò minus id eĩ integrum esse debeat, idonea ratio reddi non potest, *L. 1. §. 4. ff. Quod Legat.* Illud quoque notamus, ex allegatis Legibus quasdam ita loqui, ut successivum etiam Concursum excludere videantur. Sed hoc nos de eò casu interpretamur, quando unâ actione id, quod alterâ intendit, Actor jam est consecutus; tunc enim nec successivus illarum actionum concursus ob regulam in *d. l. bona fides 87. ff. de R. J.* locum habet, ut infra dicetur. De cætero verò, quando simultaneum Concursum excludimus, successivum nihilominus regulariter locum habere volumus.

VIII. Illud hoc loco non in eleganter quæritur, utrum Actio ad Palinodiam cum Actione injuriarum æstimatoria concurrat, & simul proponi possit. Affirmantium sententiam tueri video *Dn. Struv. Ex. 48. ob. 61. Perez. ad tit. C. de injur. n. 22. Minsing. obs. 98. Gail. 1. obs. 65. Richt. centur. Reg. Jur. Reg. 2. citante Struv.* Negantium contra ea defendit *Carpz. pr. Cr. p. 2. qv. 95. n. 31.* Cujus opinionem ut veriore sequi non dubitamus, ob rationem, quam laudatus Autor d. l. n. 32. affert: quia utraqve petitio Palinodiæ nempe & æstimationis ad unum idemqve tendit, restitutionem scilicet famæ. Ipse *Dn. Struv. alleg. loc. & Perez.* non in eò à *Carpzovio* dissentiunt, ac si actio ad Palinodiam esset pœnalis: habent enim pro Rei persecutoriâ; at in eò dissident, quod æstimatoriam pœnalem faciunt: Quâ in re, nisi omnes actiones, in quibus re deperditâ ad æstimationem agitur, pœnales esse existiment, falli eos putamus. Res ita se habet: Existimatio (quam eleganter oppidò *Magnif. Dn. Præses in Prælect. publ. ad tit. de Pace ten. 2. f. 28.* fundamentum famæ & Honoris esse docet, atqve tria hæc ita subordinat, ut existimatio sit opinio de Honestate dignitate aut virtutibus alicujus, quæ si à pluribus concipiatur, hominesqve de eâ loquantur, Fama dicatur, externa verò & solita inter homines conceptæ opinionis demonstratio, Honor:) non minus inter bona externa numeratur, atqve aliæ qualibet res, quibus vitam toleramus, & tanto cuilibet Bono carior esse debet, quanto ea non tam ad vitam quam beatam vitam pertinere creditur. Jure itaqve bonam de se existimationem quilibet ab altero exigere potest, eamqve vicissim alter ex regula de diligendo Proximo de altero fovere tenetur. Porro bonam existimationem Honor, & si à pluribus, ut diximus, concipia-

C 3

tur,

700

tur fama sequitur. Patet hinc eum, qui in famâ, honore, aut existimatione læditur, in Bono externo lædi, eoque nomine, sibi ut satisfiat, jure petere posse. Eam itaque satisfactionem Romani, quibus modus reparandi injurias per recantationem incognitus fuit, æstimatione injuriæ factâ, in pecuniâ præstari voluerunt. Quin ipsum vocabulum, æstimationis satis indicat, nihil minus, quam pœnam eò intelligi. Est enim æstimatio nihil aliud quam valor alicujus rei. *Corv. Lex. verb. æstimatio* & æstimatio in locum rei deperditæ subintrare dicitur. Hæc dum scribimus, haud nos fugit, Doctores actionem injuriarum æstimatoriam inter pœnales referre, eaque in re ipsas LL. consentientes habere. *v. l. 1. ff. de perpet. & temp. act. l. cum emancipati 2. §. emancipatus 4. ff. de Collat.* Namque pœnalis est, si ex parte rei consideretur; quam tamen ex parte Actoris rei persecutoriam esse ex dictis patet. Alia lis nobis cum iis intercedit, qui actionem ad Palinodiam pœnalē esse asserunt, eò quod non possit non summâ cum molestiâ conjunctum esse, seipsum mendacii arguere. Quibus reponimus, nos nihil pœnale in hac actione agnoscere, ac totam, totam injuriæ reparandæ causâ esse inventam. Facere non possum, quin rem verbis Magnif. Dn. Præsidis *loc. supra cit.* apprimè huc facientibus illustrem. *Cum enim adversarius externis signis declaraverit, sese sinistram de Honestate, dignitate aut virtutibus nostris opinionem fovere, quâ ratione melius poterit ad damnum datum sarcendum adigi, quam si contrariam externis signis v. c. sermone declarare cogatur.* Ac non eò fieri pœnalem credendum est, quia recantans præter restitutionem Honoris publicè se Reum mendacii fatere necesse habet: Id enim recantatio ex se & suâ naturâ non habet, sed simpliciter injuriæ revocatione honorisque declaratione

ne

ne contenta est: Sed & dici potest, (verba sunt Magnif. Dn. Lyseri eod. loc.) *aequissimum esse, ut, cum ledens honorem laeso debitum non tantum non detulerit, sed eum praeterea ignominia affecerit, vicissim non tantum honorem, sed & debito majorem deferat, ac quantum se existimatione sua supra laesum extulerit, huncq; infra se depresserit, tantum vicissim laesum supra se efferat, seq; infra eum deprimat.*

IX. Vidimus de Exceptione Concursum simultaneum excludente. Postulat nunc ordo, ut quae submoveant, successivum, consideremus. Reperimus verò successivum Concursum duplici modo excludi, aut ipso jure, aut ope Exceptionis. Ipso Jure excluditur, primò, quando Lex expressis verbis regressum ad aliam prohibet. Sic Actor, qui Dominum ex Contractu servi in merce peculiari negotiantis convenire cogitat Tributoriã aut actione de peculio, alterã electã ad alteram regressum non habet. Ita enim JCtus ait *l. Quod in herede 9. §. 1. ff. de Triaut. Act. Eligere quis debet, quã actione experiatur, utrum de Peculio, an tributoria, cum scit, sibi regressum ad aliam non futurum.* In cujus rei rationem ulterius inquirendum non est; sufficit enim id LL. ita voluisse. *l. non omnium 20. ff. de Legib.* Huc quoque referri potest *l. quod Scitum. 6. ff. de injur.* ubi, si actum sit publico judicio injuriarum, cessat privatum & ex diverso. Item *l. interdum 56. §. 1. ff. de furt.* ubi fure ad Praefectum vigilum vel Praesidem deducto cessat deinde actio furti, contra regulam in *l. un. C. quando Civ. act. Cr. praes.* quod scilicet, quoties de eadem re civilis & Criminalis actio competat, neutra alteram consumat. Deinde ipso quoque jure Concursum successivus cessat, quando pluribus agendo actionibus, actor sibi ipse repugnat atque contrarius est. De quã specie Impp. Severus & Antoninus ita rescribunt: *si pecuniã mandanti-*
bus

bus servis tuis quidam prædia comparaverunt eligere debes, utrum furti actionem & Condictioem, an mandati potius inferre debeas. Ratio hujus rei in eò posita est, quia si utrâq; actione uti vellet, eodem tempore & probaret servorum suorum factum, agendo Mandati, & improbaret, agendo furti: Quod qui facit, non tam jure persequendi sibi concessio ad injuriam sibi factam reparandam, quam inferendam utitur; quæ res manifestò æquitati adversatur: quod dicere voluere Impp. quando in adducta L. sic pergunt: *Neq; enim æquitas patitur, ut & Criminis causam persequaris, & bona fidei Contractum impleri postules.* Deniq; ipso jure submovetur Concursum successivus, quando unâ actione jam sumus consecuti, quod alterâ peti poterat. Cujus fundamentum supra pluribus exposuimus, cum contra bonam fidem esse diximus, ut quis idê bis consequatur. Accedit, quod solutione obligatio, quæ fundamentum actionis est, ipso jure tollatur *pr. 1. qv. mod. Obl. solv.* ibiq; Vinn. Referrî huc potest *l. si servus 27. §. Proculus ait 11. ff. ad L. Aquilam*, ubi verba Ulpiani ita habent: *Proculus ait, cum Coloni servi villam exussissent, Colonum vel ex locato vel ex L. Aquiliâ teneri, & si uno judicio res esset judicata, altero amplius non agendum.* Nec minus huc referenda *l. in rebus 18. §. 1. ff. Commod.* in quâ dicitur, *sive pignus sive commodata res sive deposita deterior ab eò, qui acceperit facta sit, non solum actiones ex Contractu esse, sed etiam L. Aquiliæ, sed si quâ earum actum fuerit, alias tolli.* Uti etiam *l. 1. ff. vi Bon. rapt.* ubi, qui rem rapuit & furti nec manifesti tenetur in duplum, & vi bonorum raptorum in quadruplum; sed si ante actum sit vi bonorum raptorum, deneganda est furti. Porro huc spectat *L. qui servum, 34. §. ult. ff. de Obl. & Act.* ubi, qui rupit vestimenta Commodata, & Commodati & Aquilâ teneri dicitur, sed post *L. Aquiliæ actionem*

nem utiqve Commodati finiri pronuntiatur. Item *l. metum 9. §. licet 6. ff. quod met. causâ*, in quâ qui metûs causam alteri tradidit, & vindicationem & quod metûs causa actionem habet; sed si in quadruplum egerit, finietur in rem actio vel contra. Quod si tamen plus sit in alterâ actione, adhuc ea ratione superflui intentari potest, cum id faciens nihil contra bonam fidem agat, sed suum saltem sibi tribui postulet. Quò pertinet *l. quotiens 41. §. 1. ff. de O. & Act.* cuius verba hæc sunt: *si ex eodem factò duæ competant actiones, postea* (id est postquam unâ jam actum est) *judicis potio partes esse; ut quò plus sit in reliquâ actione, id actor ferat, si tantundem aut minus, id consequatur*: Ubi cum Cujacio pro *id nil* legendum esse putamus. De temperamento hoc, quod adhibendum est, *si in alterâ plus sit*, satis clarè loquuntur *ll.* Sic si actum sit communi dividundo, non tollitur penitus pro socio actio, quoniam pro socio & nominum habet rationem, quam non curat actio communi dividundo. *l. si actum sit 43. ff. pro soc.* Item quando ob rem amotam vel contrectatam ex causâ furtivâ quis condixit, cessabit pro socio actio, nisi pluris agentis intersit. Quin enim tum adhuc pro socio rectè agatur, ita tamen, ut hoc minus ex eâ actione actor consequatur, quàm ex conditione furtivâ est cõsecutus, dubitationem non habet. *l. sed si 47. ff. eod.* Pari modò res habet, cum quis ob furtum improbius, qualem est rapina, egerit furti; integrum enim adhuc est, vi bonorum raptorum agere ratione ejus, quod in eâ amplius est. *l. 1. ff. vi bon. rapt.*

X. Ope Exceptionis excluditur Concurfus successivus primò *Exceptione rei judicatae*. Cujus rei ratio evidentior est, quàm ut multis eam exequi necesse sit. Cum enim omnis actio supponat, habere reum aliquid ob factum suum

D

vel

700

vel non factum, quod in gratiam Actoris ei detrahi æquum sit, consequens est, si fuerit iudicatum, nihil eum habere in gratiam actoris detrahendum, nec fecisse id, quod fecisse arguitur, ridiculum atq; iniqum fore eum, qui ex eadem causâ denuò experiri velit. Notanter autem adjecimus *ex eadem causâ*: quia ex aliâ causâ agenti de eadem re exceptio rei iudicatæ non rectè obicitur. Ut ut enim sententiâ iudicis fuerit pronuntiatum, nihil habere reum, quod ei v. g. ex capite Commodati detrahi iustum sit, inde tamen non continuo conficitur, nec ob damnum datum rectè cum eò agi posse. Ac in realibus quidem actionibus, huic Exceptioni ferè semper locus erit, si generatim quis nulla causâ expressâ, ex quâ res sua sit, in rem egerit, eò quod res amplius quàm semel alicujus esse non potest. *l. Et an eadem 14. f. ff. de Exc. rei jud.* Unde consultius fore scribit Godofredus *ad b. l.* tam in actionibus in rem, quàm in personam specialem petendi causam subicere. Quò facto non summovebitur hæc Exceptione deuoò agens. *l. si mater 11. §. si quis 2. ff. de Exc. rei jud.* In Personalibus verò non aliàs locum habebit, quàm si eadem fuerit causa petendi. *d. l. 14. pr. ff. eod.* Quod cum eadem res ab eòdem mihi debeat, singulas actiones singulæ cause sequuntur, nec ulla earum alteri petitione vitiat. *e. ad. l. §. actiones 2.* Exemplis rem illustrabimus: si quis damnum in re communi dederit, Aquilia & pro socio tenetur, *l. sed si 47. cum seq. ff. pro soc.* Sed si alterutrâ harum conventus absolutus fuerit, rectè alterâ agenti opponetur exceptio rei iudicatæ. Eadem submovebitur petens pignoratiâ actione servum vulneratum aut occisum, si ex L. Aquiliâ agens succubuerit, *l. sed si 18. ff. ad L. Aquil.* Quâ etiam repelletur Locator, si ex Aquiliâ agens ob servum vulneratum fuerit victus & postea ex locato agere velit. Uti & eadem locum
habet

habet adversus eum, qui rem commodatam rupisse dicitur. Quod si enim actione L. Aquiliae conventus secundum se sententiam tulerit reus, Commodati actio excluditur. *l. qui servum 34. §. ult. ff. ad L. Aquil.* Plura ex supra enarratis speciebus efformare cuilibet proclive fuerit.

XI. Ope Exceptionis porro excluditur Concurfus successivus per *Exceptionem Jurisjurandi*: cujus non minorem auctoritatem quam rei judicatae esse LL. voluere. Quemadmodum enim rem judicatam pro veritate habent, utut fortasse nihil minus verum sit, ob bonum publicum; (*vid. Magnif. Dn. Ziegl. Dicast. de Jud. Offic. Concl. 35. §. 6. & 21.*) ita cum ad jusjurandum deventum est, non id amplius quæri debet, an debeatur, sed an juratum sit. *8. item si quis. 11. f. de Act.* Cui accedit, quod is, cui jurejurando rem, de qua Controversia est, decidere permittitur, eò ipso Judex in propria causa constituitur, atque ita effectu rei judicatae exceptionem objicit; quæ quam vim habeat, paullo ante expositum est. Quando itaque ob factum alicujus vel non factum plures prodita sunt actiones, earumque unâ conventus se Jurejurando liberaverit, aliâ experiri non licet. Quam in rem pereleganter Jctus *l. in duobus 28. §. 4. ff. de Jurejur.* ait: *Exceptio Jurisjurandi non tantum, si eâ actione quis utatur, cujus nomine exegit jusjurandum, opponi debet, sed etiam si alia, si modò eadem Quæstio in Judicium deducatur.* Exemplum elegans, quò hæc Exceptio confirmatur, extat in *c. l. in duobus 28. §. Colonus. 6.* Ejus verba ita habent: *Colonus, inquit Paulus, cum quo propter succisas forte arbores agebatur ex Locato, si juraverit, se non succidisse, sive ex L. XII. Tabb. de arboribus succisis, sive è L. Aquiliae damni injuriæ, sive Interdicto quod vi aut clam postea convenietur, per Exceptionem Jurisjurandi defendi poterit.*

XII. Po-

XII. Postremò, anteqvam finem huic Disferta-
tioni imponamus, observandum est, Pœnales quidem &
mixtas actiones, earumq; Concursum proditum fuisse, ut
metu ejus à lædendo altero Cives abstinerent. Cum au-
tem vicissim quidam adeo pravo alieniq; cupido inge-
nio essent, ut beneficio isto ad occasionem locupletandi
cum damno alieno abuterentur, ex accidenti evenit, ut
Concursum hic actionum ansam daret Litibus multipli-
candis. Cui rei ut occurreretur, Judices id magnâ olim
cum curâ egisse videntur, ut persuaderent Actori pluri-
bus actionibus subnixo, ne acerbè nimis Jus suum exer-
ceret, sed potius reliqvas reo remitteret. Equidem vix id
videtur vetus Procedendi ratio admittere, quæ Judices
in actionibus stricti Juris præcisè ad formulam adstrin-
gebat: Potest tamen dici, Prætorem id in formulâ com-
prehendisse, ut hæc in re suas partes interponeret Judex.
Facit, ut ita sentiamus præter *l. non solum 13. § seq. ff. de
R. V. imprimis l. si merces 25. §. Ipse qvovq; 5. ff. Locati.* Cu-
jus verba adscribere non pigebit: *Ipse qvovq; (Colonus)
si exciderit (arbores) non solum ex locato tenetur, sed etiam
L. Aquiliâ & ex L. XII. Tab. arborum furtim Cesarum, &
Interdicto quod vi aut clam: sed utiq; Judicis, qui ex lo-
cato judicat, officio continetur, ut ceteras actiones locator
omittat.* Qui quidem casus bonæ fidei judicium continet,
adeoq; rectè in eò ad officium judicis, qui scil. in causa lo-
cati ex bono & æquò judicat, recurritur. Atq; hæc quidem
sunt, quæ de hoc argumento ex Jurisprudentiâ Romanâ
visa fuere dicenda. Gaudebo, si ordine, quem tenui, Quæ-
stioni aliàs valdè impeditæ non nihil lucis allatum est. Af-
ferre certè conatus sum. Quod si excidi voto, satis habe-
bo, me, cujus causâ hæc Disfertatio conscribenda fuit, ut
operam suam mihi contradicendo daturis disce-
ptandi materia esset, id esse conse-
cutum.

ULB Halle

3


003 633 195




TA → OL

DMF







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



20.

D. B. V.

1680 M

IO INAUGURALIS,

De

CURSU ONUM,

QVAM

toritate Magnifici Jctorum

Ordinis

ademia *Vittebergensi*

3 1/2

PRÆSIDIO

atq; EXCELLENTISSIMI

ELMI LYSERI,

cessoris celeberrimi &c.

receptoris observantissimè

colendi,

LICENTIA

Jure Honores adspirandi,

ic solenni Disquisitioni

subjicit

MICHAEL HEBER

Witteb.

to Isc LXXX. in Auditorio Majori
ante 5 pomeridianis.

4.

HENCKELII, Acad. Typog.

700